

1.4.7

*Idem AA. Eutychiano pp.*

Si qui ex consensu apud sacrae legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur, sed experientur illius (in civili dumtaxat negotio) arbitri more residentis sponte iudicium. quod his obesse non poterit nec debet, quos ad praedicti cognitoris examen conventos potius afuisse quam sponte venisse constiterit.

*D. VI k Aug. Mediolani Honorio A. IIII et Eutychiano cons. [a. 398]*

1.4.8

*Imppp. Arcadius Honorius et Theodosius AAA. Theodoro pp.*

Episcopale iudicium sit ratum omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam, quam vestris referre necesse est potestatibus, a quibus non licet provocare. per iudicum quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni exsecutio tribuatur.

*D. id. Dec. Basso et Philippo cons.*

*[a. 408J]*

1.4.9

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Caeciliano pp.*

Iudices dominicis diebus productos reos e custodia carcerali videant interrogent, ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes negetur: victualem substantiam non habentibus faciant ministrare libellis duobus aut tribus diurnis vel quot existimaverint commentarienses decretis, quorum sumptibus proficiant alimoniae pauperum: quos ad lavacrum sub fida custodia duci oportet.

¶ Multa iudicibus viginti librarum auri et officiis eorum eiusdem ponderis constituta, ordinibus quoque trium librarum auri multa proposita, si saluberrima statuta contempserint. nec deerit antistitem Christianae religionis cura laudabilis, quae ad observationem constituti iudicis hanc ingerat monitionem.

*D. VIII k. Febr. Ravennae Honorio VIII et Theodosio III AA. cons. [a. 409J]*